

## Titulus.

XIII. De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ . . . . .	134
XIV. De consanguinitate et affinitate . . . . .	137
I. De consanguinitate . . . . .	—
II. De affinitate . . . . .	141
XV. De frigidis et maleficiatis et de impotentia coëundi Instructio S. Cong. Conc. 22. Aug. 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus . . . . .	145
XVI. De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae . . . . .	153
XVII. Qui filii sint legitimi . . . . .	160
XVIII. Qui matrimonium accusare possunt vel contra illud testificari . . . . .	163
XIX. De divorciis . . . . .	168
I. De divorcio pleno . . . . .	172
II. De divorcio in matrimonio rato et non consummato inter fideles . . . . .	181
III. De divorcio quoad torum et cohabitationem . . . . .	183
IV. De divorcio ob adulterium . . . . .	185
XX. De donationibus inter virum et uxorem, et dote post divorcium restituenda . . . . .	189
I. De donationibus . . . . .	—
II. De dote . . . . .	190
III. De restitutione dotis . . . . .	191
XXI. De secundis nuptiis . . . . .	192
Instructions S. S. quoad matrimonium . . . . .	194
I. Instructio S. U. Inquisitionis jussu Clementis X. Ordinariis locorum aliquis prescripta, qua utantur ad legitime cognoscendum admittendumque statum liberum eorum qui matrimonium contrahere velint . . . . .	—
II. Instructio pro examine illorum testimoniis qui inducuntur pro contrahendis matrimonii tam in Curia Eminentissimi et Reverendissimi Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis ceterorum Ordinariorum . . . . .	195
III. Instructio ad probandum obitum alicujus conjugis . . . . .	198
IV. Instructio Secret. Status de Dispensationibus super impedimento mixtae religionis quoad promiscua conjugia . . . . .	204

## A p p e n d i x.

De Dispensatione in impedimentis matrimonii . . . . .	207
De Dispensationibus quæ a Sede Apostolica conceduntur . . . . .	212
De executione literarum Apostolicarum quoad dispensationes matrimoniales . . . . .	220
De sanatione in radice . . . . .	223



# PRÆLECTIONES JURIS CANONICI

QUAS

JUXTA ORDINEM DECRETALIUM GREGORII IX.

TRADEBAT

IN SCHOLIS PONT. SEMINARII ROMANI

FRANCISCUS SANTI

PROFESSOR.

EDITIO SECUNDA.

LIBER V.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATII.  
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,  
S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.

MDCCCXCII.

PRÆLECTIONES  
JURIS CANONICI.

---

LIBER V.

# Decretalium Gregorii IX.

## Liber V.

### TITULUS I.

#### De accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus.

1. In libro V. Decretalium agitur de criminibus et de poenis, quibus jus Canonicum plectit delinquentes. Initio tractationis sermo instituitur de modis quibus a publica auctoritate cognitio alicujus criminis possit haberi. Modi autem hujusmodi tres sunt, nempe *accusatio, denunciatio et inquisitio*.

2. Accusatio communiter definitur juxta legem ult. c. h. t. ‘Criminis alicujus apud judicem competentem legitime facta delatio ad publicam vindictam.’ Hæc notio desumpta est ex jure romano, in quo reputatum est crimen non solum offendere societatem, sed etiam unumquodque individuum, cuius propterea intererat crimen puniri. Quare poterat quisquis civis ob bonum reipublicæ provocare legitimò modo contra delinquentem publicam vindictam.

Accusatio autem proprie dicta *legitime* fieri debet, idest accusator debet libello subscribere, et obligationem suscipere probandi crimen objectum sub ea conditione, ut si defecerit in probationibus subire teneatur poenam talionis, idest poenam, quam subiisset reus, si crimen contra ipsum probatum fuisset.

3. Ad constituendam proprie dictam accusationem requiritur 1º. ut accusator fiat actor causæ, idest causam faciat propriam; 2º. ut designet in libello crimen in specie et ejus auctorem; 3º. ut invocet articulum legis in quo decernitur pena applicanda reo; 4º. ut assumat obligationem subeundi poenam invocatam contra accusatum, quoties crimen non demonstret.

Cum vero desiderium boni publici et legum custodiæ non semper idem perseveraverit, nec proinde veri accusatores haberentur, ne crimina impunita essent, inducta est simplex *denunciatio*, quæ nihil aliud est quam, ‘sola delatio, seu manifestatio criminis facta superiori absque ulla obligatione probandi crimen, aut subeundi poenam talionis’.

4. Communiter denunciatio distinguitur ut alia sit ex *charitate*, quæque et *evangelica* appellatur, alia sit *judicialis*. Prior fit superiori tamquam patri non ad publicam vindictam, sed ad emendationem rei denunciati; secunda est quæ fit coram superiore tamquam judice, qui procedere debet, juridica forma servata.

Denunciatio hujusmodi a doctoribus subdividitur in *privatam* et *publicam*.<sup>7</sup> Privata dicitur ea, qua denuncians intendit solummodo suam indemnitatem, et remotionem periculi sui, quamvis occasione capta ab hac accusatione, judex procedat ad vindictam publicam. Publica denunciatio ea est, qua intenditur principaliter expiatio poenæ causa ultiōnis publicæ a reo tolerandæ.

5. Tertius modus cognoscendi crimina est *inquisitio*. Si quidem cum communiter insufficientes evaderent ad cognoscenda crimina accusatio et denunciatio, præsertim ob minas iniquorum hominum inductum est aliud medium juridicum pro criminibus cognoscendis, scilicet inquisitio. Auctoritas publica quidem munere suo vigilandi fungens, instituere tenetur examen et indaginem accuratam ad detegenda crimina et auctores eorum.

6. Porro inquisitio hæc, alia est *generalis*, alia est *specialis*, alia est *specialissima*. Generalis inquisitio nihil aliud est ‘nisi vigilantia assidua auctoritatis qua curat prævenire crimina’. Melius est enim impedire crimen patrandum, quam punire crimen jam patratum. Quare generalis inquisitio potest institui, quamvis crimen perpetratum non fuerit, sed timetur ne forte patretur. Specialis inquisitio est ea, quæ instituitur post admissum crimen in societate, ut cognoscatur species individua criminis, locus, tempus, circumstantiæ, et auctor, qui ignoratur. — Specialissima inquisitio est ea, quæ instituitur circa aliquam personam determinatam suspectam de crimine, utrum revera auctor fuerit criminis, necne.

7. Hisce positis de notione materiæ tituli, quæritur quinam possint in judicio criminaliter accusare. Quoniam accusatio in publicum bonum redundat, omnes possunt accusare nisi a jure arceantur.

Et 1º. ob defectum ætatis *impuberes* ab accusando repelluntur; 2º. *mulieres* etiam ob infirmitatem sexus accusare non possunt; 3º. *Clerici* et *Monachi* idest *Regulares* non possunt accusatoris partes gerere, ne sæcularibus negotiis sese immisceant, tit. ‘Ne Clerici vel Monachi’, et eo magis prohibentur si crimen secum ferret poenam capitii vel mutilationis; hoc enim in casu irregularitati subjicerentur. Cap. 21. ‘De homicidio’. Qua in re animadvertisimus Clericum vel Religiosum non incurrire irregularitatem, quoties absque designatione personæ vel poenæ, inculcat in genere magistratui onus inquirendi et puniendi malefactores et perturbatores publicæ tranquillitatis, vel quoties ob compensationem damni, vel remotionem periculi persequatur coram judice aliquem delinquentem, dummodo vero protestetur se non accusare ad vindictam publicam promovendam, et ad poenam sanguinis inducendam contra reum, sed solummodo ad damnum vel vitandum vel sibi compensandum. Cap. 2. *De homicidio in VI.* — 4º. *Magistratus* et *miles* arcentur ratione officii ab accusando, ne distrahantur a munere suo. — 5º. *Infames* et qui suspecti sunt de *calunnia*. Can. 17. caus. 6. q. 1. et Can. 2. caus. 3. q. 5.

Pariter ob dubiam fidem prohibentur accusare *inimici graves* seu *capitales* et qui eos frequenter adeunt. Suspecti de bona fide censentur etiam qui pecuniam ad accusandum, nec non *inopia laborantes*. Quando autem *pauperes* arcendi sint tamquam suspecti relinquunt arbitrio judicis. — 6º. Ob suspicionem calumniæ *Infales*, *Judæi* et *Hæretici* non admittuntur ad accusationem promovendam contra Christians. Can. 24. caus. 2. q. 7. — Ob eamdem rationem non facile admittendi sunt *Laici* ad accusandos Clericos. Possunt enim moveri ad accusandum ex odio contra Clericos concepto, ob fidele sacri ministerii exercitum. — 7º. Ob vinculum cognitionis et debitam reverentiam *liberi* arcentur ab accusatione promovenda contra parentes, et viceversa, nec *frater fratrem* aut *sororem* accusare potest.

8. Hæc autem dicta sint de criminibus communibus, et de injuria non sibi illata; nam si agatur de injuria sibi illata vel de morte propinquorum, vel de criminibus atrocioribus possunt etiam superius excepti officium accusatoris implere. Crimina autem hujusmodi, sunt crimina, quæ diriguntur contra *Deum*, scilicet *blasphemia*, *apostasia*, *hæresis*, *simonia*, *magia*, *sacrilegium*. Sunt etiam crimina excepta, quæ bonum publicum directe affi-

ciunt, scilicet crimina *læsæ majestatis, latrocinii, falsæ monetæ, fraudæ annonæ*. In hisce autem criminibus Clerici et Religiosi, ne incurant irregularitatem, debent accusare non ad vindictam publicam et ad poenam sanguinis, sed ad utilitatem vel propriam vel Ecclesiæ procurandam.

9. Hæc quæ verificantur in accusatione etiam verificantur in denunciatione publica criminali, idest qui arcentur juxta dicta ab accusatione perficienda, arcentur etiam a proponenda publica denunciatione, non autem a privata. Privata enim potius est actio civilis, quam criminalis, publica autem contra reum delinquentem, eumdem sortitur effectum, quem sortitur accusatio.

10. Relate ad inquisitionem, quæritur utrum semper et quomodocumque possit institui inquisitio criminum.

Inquisitio generalis procul dubio potest et debet a superiore communitatibus semper fieri, quia ad vigilare debet ne crimina perpetrentur. Inquisitio autem specialis post patratum crimen institui debet. At non ita dicendum est de specialissima. Ea enim non semper potest institui, quia nimis gravis esset pro auctoritate, nec debet, quia cives honesti non sunt ex levi etiam et despicienda suspicione aliqua molestia afficiendi. Igitur juxta cap. 24. h. t. potest hæc inquisitio institui, quando contra aliquam personam fundata adsit suspicio admissi criminis. Hæc autem suspicio habetur 1<sup>o</sup>. quando publica diffamatio verificetur; 2<sup>o</sup>. quando denunciatio locum habeat.

#### De modo procedendi extrajudicialiter ex informata conscientia.

11. Quoniam jus Præsulum Ecclesiæ procedendi contra Clericos ex informata conscientia ab aliquibus denegatur, ab aliquibus autem ultra suos legitimos limites protrahitur, hinc loco appendicis ad titulum '*De accusationibus*' de hoc jure pertractandum.\*)

Hoc jus in eo consistit ut 'Prælatus ecclesiasticus ex justa causa sibique sufficienter cognita possit Clerico denegare ascensum ad ordines superiores, vel eumdem suspendere ab ordinum receptorum exercitio'. Ita in cap. 1. sess. 14. *De reformat. in Conc. Tridentino*. Nec difficultas oriri potest ex eo quod Patres Tridentini mentionem fecerint de crimine occulto extrajudicialiter

\*) Vide etiam *Institutiones Juris publ. eccles.*, F. Cavagnis, Vol. II, pag. 153.

cognito solum in prima parte decreti, scilicet relate ad ascensum ad altiores ordines, nam unitas contextus satis superque exprimit idem dicendum esse etiam de secunda parte decreti, idest relate ad suspensionem a ministerio susceptorum ordinum. Hæc fuit etiam authentica decreti interpretatio data a S. Cong. Conc. die 24. Novemb. anni 1657, et aliis omissis in causa 'Oritana seu Jarentina' d. 20. Aug. 1735.

12. Cum facultas procedendi extrajudicialiter ex informata conscientia Prælatis Ecclesiæ competat ex jure communi duo sequuntur 1<sup>o</sup>. non obligari Episcopum ad manifestanda Clerico motiva inflictæ poenæ. Ita etiam respondit Sacra Congregatio Episcopo Vercellensi die 21. Martii 1743. 2<sup>o</sup>. Non concedi contra decretum Episcopi seu Prælati remedium appellationis ad tribunal superius, ex. gr. ad tribunal metropolitanum, nec teneri Episcopum ad manifestandam Metropolitano causam decreti sui. Ita S. Cong. Concilii respondit Archiepiscopo Remensi die 21. Apr. 1668. At si ratio juris excludit juridicam appellationem ad quocumque superius tribunal, non adimit Clerico omnem defensionis copiam, sed si injuriam sibi illatam fuisse arbitratur ex Episcopi decreto, poterit per viam recursus adire Apostolicam Sedem, cui Episcopus motiva inflictæ poenæ manifestare tenetur. Concilium enim Tridentinum nullo modo voluit lädere jus primatus Romani Pontificis, quo Pontifex potest bonum spirituale fidelium non solum in genere curare et promovere, sed etiam in individuo. Adeoque potest querelam omnium fidelium excipere, et efficacibus remediis præsto esse fidelibus per injuriam vexatis. Atque ita etiam consonam juris principiis dedit interpretationem S. Cong. Concilii in citata responsione Archiepiscopo Remensi, quam Gregorius XIII. approbavit.

13. Quoniam verba Tridentinæ dispositionis generalissima sunt, ea comprehendunt etiam Clericos arctatos ad ordines, idest Clericos possidentes beneficia, quibus ordo aliquis adnexus est. Attamen Clericus arctatus ad ordinem suscipiendum, si ex decreto episcopali impeditus fuerit, interim, ne poenæ multiplicantur, non incurrit penas contra arctatos negligentes inflictas. Ita Sacra Congregatio respondit die 22. Junii 1682.

14. Quæritur utrum Prælatus possit extrajudicialiter ex informata conscientia interdicere Clerico ascensum ad ordines superiores,

vel exercitium in ordinibus susceptis etiam ob crimen publicum, quod nempe in foro externo probari et denunciari possit.

Contendimus Concilium Tridentinum facultatem procedendi extrajudicialiter Prælatis concessisse solummodo in criminibus occultis; et quoad crima publica reliquise disciplinam veterem, quæ ordinem judiciale requirit in delinquentibus etiam Clericis puniendis.

15. Quod ut demonstretur sciendum est, jure Decretalium Clericos sacerdotes ob crimen occultum ab Episcopo moneri quidem potuisse non autem repelli ab ordinibus superioribus suscipiendis, vel suspendi a ministerio ordinis jam suscepti. Ita in cap. 4. *'De temporibus Ord. et qualitate Ordinandorum.'* Receptum erat enim principium Innocentii III. *'Ecclesiæ datum est tantum de manifestis judicare.'* Cap. 31. *'De Simonia'*. Verum pro Regularibus aliud invocatum est principium *'Honestius et tuus est subjectis impendere obedientiam debitam præpositis'*; simulque statutum fuit non posse Episcopum Clericum aliquem regularem ad altiores Ordines promovere contra votum Prælati sui, qui potest secreta crimina Religiosi cognoscere, ob quæ indignus sit elevatione ad gradum sublimiorem. *Ita in cap. 5. eodem Tit.*

16. Jamvero omnibus rite perpensis dicendum est, Tridentinum Concilium correxisse caput 4. *'De temporibus Ordinat.'* et extendisse ad Clericos sacerdotes dispositionem capituli 5., quæ exclusive erat pro regularibus. Et sane 1<sup>o</sup> id eruitur ex principio invocato a Patribus Tridentinis, quod ipsis verbis concipitur ac exhibetur in cap. 5. *'De temporibus Ordin.'* Ergo quemadmodum in cap. 5. *'De temporibus Ordinat.'* sermo est de criminibus occultis taxative ita a pari dicendum est Tridentinum loqui solummodo de occultis criminibus non vero de publicis. 2<sup>o</sup> Tridentinum alludens ad prohibitionem ascensus ad ordines altiores, et ad suspensionem a susceptis expresse nominat crimen occultum. 3<sup>o</sup> Si voluisset concedere Episcopis facultatem procedendi extrajudicialiter ad Clericos suspendendos ex crimen publico, immutasset immo evertisset disciplinam veterem judiciorum hac in re, subjiciendo omnia arbitrio Præsulum ita ut nec locus esset appellacioni. At hoc fecisse non præsumitur, tum quia expresse declarasset se corrigere et immutare velle antiquam hanc disciplinam, tum quia cum alias sermo est de puniendis criminibus publicis Clericorum ex. gr. Con-

cubinatus, Tridentini Patres determinant formam publicam procedendi, quæ servanda prorsus est ab Episcopis.

17. Accedit tandem resolutio S. Congregationis Concilii diei 22. Junii 1582, qua declaratum est Tridentinum Decretum correxisse cap. 4. tit. *'De temporibus Ordin.'* et ampliasse cap. 5. ejusdem tit. Ita nempe ut quod valebat pro regularibus, etiam ad sacerdotes Clericos extenderetur. Hinc quoties in S. Congregatione actum est de suspensione irrogata ex informata conscientia, et non servato ordine judiciali ob crimen publicum, suspensionis decretum irritum declaratum est. Ita in causa *'S. Severini'* diei 19. Sept. 1778; ita in *'S. Agatae Gothorum'* 26. Febr. 1853 et 28. Maji ejusdem anni.

Quare relate ad publica crimina manet ordo procedendi publicus et juridicus, quoad vero occulta potest Episcopus extrajudicialiter et ex informata conscientia procedere ad suspensionem Clerici in ministerio suo, vel prohibere ascensum ad Ordines superiores.

18. Occultum vero crimen est 1<sup>o</sup> illud quod in foro externo nec probari, nec condemnari potest; 2<sup>o</sup> illud quod licet legitimis probationibus possit demonstrari, tamen id fieri non posset absque fidelium scando, et majori Clerici ipsius delinquentis detimento.

Porro ex Tridentino poena, quam potest Prælatus ex informata conscientia infligere Clericis duplex solummodo est nempe prohibitio ascensus ad superiores ordines, et suspensio in ministerio ordinum jam susceptorum.

19. Hæc vero suspensio adeo valet ut si Clericus suspensus eam spernens ministrat in ordine suo, incurrit irregularitatem. Quam quidem poenam incurrit Clericus etiamsi videns decretum suspensionis laborare falso supposito recursum habuerit ad Apostolicam Sedem et interim ordinem exercuerit, quia recursus ipse non suspendit virtutem decreti Episcopalis.

20. At irregularitatem non incurret clericus si ministraret in ordine suo post suspensionem datam ab Episcopo ex informata conscientia in crimen publico, quod tamen non subsistit. Ita respondit S. Congregatio Concilii in causa *S. Agatae Gothorum* *'Suspen. irregular. et privat. Beneficii'* supra citata, Februar. et Mayo 1853. Ratio est quia sententia ab Episcopo lata non solum est injusta ob crimen falso suppositum, sed etiam invalida quia contraria dispositioni Concilii Tridentini in cap. 1. sess. 14. *De Reform.*

21. Quæri posset quoisque sese extendat potestas Episcopi in poena suspensionis infligenda ex informata conscientia.

Concilium Tridentinum concedit Episcopo facultatem suspendingi Clericum delinquentem a suis ordinibus seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis. Ergo Clericus ab Episcopo suspendi potest non solum ab ordine sed etiam ab officio.

22. Poteritne suspendi Clericus ex informata conscientia etiam a beneficio?

Authenticam responsionem non habemus. Verum duplex ratio suppetit pro affirmativa sententia. 1º. Beneficium datur propter officium. Igitur si poena afficere potest causam finalem, poterit etiam effectum attingere. 2º. Licet poena sit strictæ interpretationis, tamen facultas concessa ad puniendum est res favorabilis, quia est liberalitas quædam superioris concessa inferiori ut magis expedite possit suo munere fungi.

#### TITULUS II.

#### De calumniatoribus.

1. Quod magis in accusationibus vitandum est, crimen est *Calumniæ*. Quare post titulum de accusatoribus statim præsens subnectitur titulus.

Calumniator ille est 'qui innocentem per malitiam falso eidem impacto crimen in judicium trahit'.

2. Juxta dispositionem juris Romani in l. 8. *Codicis h. t.*, calumniatores præter expensas quas accusato reficere tenebantur, notabantur infamia et poena talionis mulctabantur.

Hodiernis moribus adhuc poena infamiae in usu est, poena autem talionis obsolevit, et in ejus locum successit poena extraordinaria prudente arbitrio judicis infligenda. In capite 1. h. t. contra Clericos calumniatores statuta est poena depositionis, et exilii, sed ex contraria consuetudine factum est, ut etiam pro Clericis poena extraordinaria servaretur, arbitrio judicis ecclesiastici relicta juxta culpæ qualitatem.

3. Calumnia juxta Gloss. in cap. 2. h. t. verbo '*Calumniandi*' præsumitur eo ipso quod accusator vel denunciator crimen nullo modo probaverit. Verum hæc præsumptio est solummodo juris, et proinde admittit probationem in contrarium sensum, immo concur-

rentibus adjunctis, potest concedi accusatori vel denunciatori canonica purgatio. Cap. 2. h. t.

4. Ad tituli nostri materiam referenda est Constitutio '*Sacramentum Pœnitentia*' data die 1. Junii anni 1741. § 'Et quoniam' in qua Benedictus XIV. reservavit Summo Pontifici absolutionem illius personæ, quæ vel per se, vel studuerit vel procuraverit ut alius accusaret ad Tribunal Ecclesiae de falso crimine sollicitationis ad turpia innocentem Confessarium, quod quidem peccatum calumniosæ accusationis est reservatum Romano Pontifici, quamvis nullam censuram unitam habeat. Idest casus hic est reservatus de se, et non propter censuram. Et quidem licet facta fuerit a calumniatore retractatio, tamen casus perseverat adhuc reservatus.

#### TITULUS III.

#### De simonia.

1. Primum crimen, quod in specie exponitur in libro V. est simonia, quæ a Simone Mago Samaritano nomen traxit, de quo in Actis Apostolorum sermo instituitur cap. 8.

Antiquitus in canonibus crimen hoc appellatum est *labes simoniaca*, vel etiam *hæresis simoniaca*, et sæculis IX. et X. qui hoc vitio maculabantur dicti sunt hæretici. Forsitan antiquitus simonia dicta est hæresis, licet per se reapse hæresis non esset, quia Simon Magus post receptum Baptisma, admiratus virtutem Apostolorum operandi prodigia, arbitratus est se posse ab Apostolis pecunia emere virtutem miraculorum patrandorum; in quo erravit dicente Scriptura 'Gratis accepistis, gratis date'. Quare Apostoli rejecerunt consilium Simonis magi, et Petrus ei respondit 'Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri'. Sæculo autem IX. et X. Simoniaci appellati sunt hæretici non quia revera hæretici erant, non enim theoretice propugnabatur posse res spirituales pretio temporali comparari, in quo notio hæreseeos consistit, sed Simoniaci dicti sunt hæretici, quia adeo excreverunt abusus simoniæ et numerus simoniacorum, ut publica plurimorum agendi ratio quodammodo videretur insinuare depravatum sentiendi modum, circa notionem et naturam jurium et bonorum spiritualium. Ex eadem ratione propagatorum abusuum in societate Christiana Clerici concubinarii appellabantur hæretici, licet in theoria concubinatus execraretur a fidelibus.